



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Censuræ Doctorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

## Facultas Patris Ministri Provincialis.

**S**olem Triplicem in eodem Universo seu integro Philosophiæ Cursum, per Patrem Fratrem AMANDUM HERMANN, Ordinis Minorum S. P. Francisci Reform. SS. Theologiæ in Conventu nostro Neo-Pragensi B. Virginis ad Nives Lectorem Generalem actualem, non minus subtiliter, quam utiliter compositum, nec non à deputatis Religionis nostræ SS. Theologiæ Lectoribus vigilanti oculo iustratum ac examinatum pro utilitate ac bono communi, pro Reipublicæ Litterariæ incremento, Legentibus solatio, servatis servandis imprimendi, atque ità publicæ notitiæ exponendi præsentibus facultatem impertior. In Conventu nostro Neo-Pragensi B. Virginis ad Nives. Anno 1673. Die 17. Septembris.

Fr. Guilielmus Antonius Brauczek, SS.  
Theologiæ Lector Jubilatus, nec non Provinciæ Bohemiæ Reform. S. Wenceslai Ducis & Martyris Minister Provincialis.

## Censuræ Doctorum.

**U**niversæ Philosophiæ Cursum integrum Authore Admodum Reverendo P. F. AMANDO HERMANN, Ordinis Minorum S. Francisci Reform. Provinciæ Bohemiæ S. Wenceslai S. Theologiæ Lectore Generali avidè & cum delectatione legimus: in quo Quæstiones tum à Veteribus, tum à Recentioribus diu exagitatas, & vix magnis Voluminibus comprehensas, tantà facilitate & felicitate pertrahat, ut cum nihil omittat necessarium ac scitu dignum, nihil simul admittat otiosum, aut sanæ Doctrinæ, aut bonis moribus dissonum. Invenimus in resolvendis Argumentorum fallacis subtilitatem, in veritate manifestanda Eloquentiam, in indaganda mente sui Authoris solertiam, in enucleandis rationibus profunditatem cum claritate. Unde tam insignes Elucubrationes Philosophicas prælo ac Luce publicâ dignissimas censemus. Prædicatorum Conventus S. Ægidii die 3. Octobris Anno 1673.

Fr. Joannes Steuber, Ord: Prædic: SS. Theologiæ Præsentatus Generalis Studii ad S. Ægidium Regens.

Fr. Albertus Muffik, Præsentatus & Studii Baccalaureus.

**T**riplicem Solem in eodem Universo, id est, Universæ Philosophiæ Cursum integrum ex clarissimo fecundo, & facundo Ingenio Admodum Reverendi Patris AMANDI HERMANN, Ordinis Minorum S. Francisci Reform. Provinciæ Bohemiæ S. Wenceslai SS. Theologiæ Lectoris Generalis, &c. diligenti & gratissimo mentis obtutu suspexi, in quo nec minimam nubeculam, quæ fidem Orthodoxam, vel bonos mores labefactare posset, deprehendi, imò subtilissimis Clarissimæ Doctrinæ radiis undequaque scintillantem observavi, ideoque non occultandum sub modio, sed super publicæ Lucis Candelabrum Censeo ponendum, ut luceat omnibus, qui in domo Litteraria vivunt. Dabam in Conventu nostro Vetero-Pragensi S. Jacobi 14. Octobris Anno 1673.

Fr. Blasius Antonius de Comitibus à Mediolano,  
Ordinis Min. Conventual. SS. Theologiæ Doct.  
Collegii Ferdinandi Pragæ ad S. Jacobum Regens & Inspector.

Julia

**J**ussu Admodum Reverendi Patris Guilielmi Brauczek, Ordin. Minorum S. P. N. Francisci Reform. Lectoris Jubliati, Almae Provinciae Bohemiae S. Wenceslai Ducis & Mart. legimus Solem Triplicem in eodem Univerfo, id est integrum Cursum Philosophicum trium Solidiffimorum Doctorum D. Augustini, D. Bernardi, ac subtilis Joannis Duns Scoti Authoritatibus ornatum, nec non felici faecunditate, non minori styli facunditate, laboreque praecclaro à M. V. P. F. AMANDO HERMANN, Collega nostro Rationibus dilucidatum; in quo quia nihil Orthodoxae fidei aut bonis moribus adversum deprehendimus: dignum censemus ut Univerfo Litterario utiliter illuceat. Datum Pragae in Conventu D. Virginis ad Nives die 11. Novembris Anno 1673.

Fr. Bernardus Sannig, Terrae S. Commissarius,  
Provinciae Boemiae Diffinitor & SS. Theologiae Lector Jubilatus ac actualis Professor Ejusdem Facultatis, &c.

Fr. Antonius Hartmann, Actualis SS.  
Theologiae Lector Generalis.

**S**apiente Filio, Patri si licet gloriari, merito mihi, senum more licebit exultare, & gloriari, aspectu & gratâ Lectione (quam Colendissimi mei Superioris jussu feci) triplicis hujus Solis, in eodem Univerfo Orientis seu integri Philosophiae Cursum in hoc tomo Comprehensi, ingeniosa sedulitate, gratiffimi mei Filii ac olim per Theologica studia obsequiosi Discipuli, Reverendi nimirum Patris Fratris Amandi Hermann, Ord. Min. S. P. Francisci Reform. Almae Provinciae Boemiae Alumni, & in Generali Pragensi studio ad Nives Actualis Sacrae Theologiae Professoris, sapienter editi, & artificiosè elaborati, in quo raro aliorum exemplo Author, Philosophicae Doctoris Nostri Subtilis, documenta, communiâque verorum Scotistarum Principia & Assertiones Magnorum Ecclesiae Luminum, ac Sanctiffimorum Coelestis Regni Doctorum, Augustini ac Bernardi Authoritatibus firmat, sententiis roborat, & menti accuratiffimè conformat: Oriatur itaque Clariffimus Sol iste noster in Altiffima Boemici Leonis sphaera, videatque in Commune Doctorum omnium praesertim verò sacrarum: Sanctorum Aurelii Augustini, Mellissui Bernardi, & Seraphici Francisci Religionum bonum, lucem, quam meretur, publicam, & cum nulla nubecula in fidem aut bonos mores peccante obscuretur, luceat quam citiffimè Typographi diligentia, Litterariae sapientiae Amatoribus. Ita sentio ac opto Noxae Domi in Boemia 1. Octobris Anno 1673.

Fr. Antonius Bruodinus, Lector Jubilatus,  
nec non Conventus Novodomensis ad S. Catharinam Guardianus.

Imprimatur.

Ex Arce Pragensi. 16. Octobr. 1673.

Thomas à Czechorod,  
Officialis.

c 2

Author